Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

IIII

sumatur et hoc contingit du-
pliciter. Primo modo per desiderium
sumendi ipsum sacramentum et sic
dicuntur baptisari et manduca-
re spiritualiter et non sacramen-
taliter qui non desiderant sume-
re hec sacramenta iam instituta.
Alio modo per figuram sicut dicit
apostolus i Cor. 10. Quia antiqui
patres baptisati sunt in nube
et in mari et escam spiritualem man-
ducaverunt et potum spiritualem
biberunt. nec tamen frustra adhi-
betur manducatio sacramentalis
quia plenius inducit sacramen-
ti effectum quam solum desideri-
um sicut supra tractatu baptismi
dictum est. hec Tho. Unde no-
tandum quod spiritualiter mandu-
care sicut Christo et ecclesie incor-
porari hoc potest esse dupli-
citer scilicet per modum meriti cre-
dendo et percipiendo. Primo
modo sumitur manducare spi-
ritualiter communiter. Secundo
modo magis proprie. Primus
modus potest alicui sine sa-
cramento provenire sed se-
cundus non. hec Petrus. Utrum
solius hominis sit sumere sa-
cramentum spiritualiter. Respondeo
quod sic. Nam in hoc sacramento
continetur ipse Christus non qui-
dem in specie propria sed in spe-
cie sacramenti. Dupliciter ergo
contingit ipsum spiritualiter man-
ducare. Uno modo ipsum Christum pro-
ut in sua specie consistit et hoc
modo angeli manducant spiritualiter
ipsum Christum unitum ei unitur

in fruitione caritatis perfecte
et visione manifesta scilicet non per spe-
culum sicut nos hic unimur ei. Alio
modo contingit spiritualiter man-
ducare Christum prout est sub speciebus
huius sacramenti inquantum scilicet ali-
quis credit in Christum cum desiderio
suscipiendi hoc sacramentum et hoc
non solum est spiritualiter man-
ducare sed spiritualiter manduca-
re sacramentum. hoc ergo non con-
tingit angelis et ideo angeli et si
spiritualiter manducent Christum
non tamen contingit eos spiritua-
liter manducare hoc sacramentum
hec Thomas. Utrum mali sumant
corpus Christi sacramentaliter. Re-
spondeo sicut enim dicit Grego. Est qui-
dem in peccatoribus et indigne sumen-
tibus vera Christi caro et verus
Christi sanguis non salubre effi-
cacia. Sumunt igitur mali cor-
pus Christi ex eius dignatione
et humilitate sed non eius effectum
sed ex eius iustitia et caritate. Unde
inmunditia manducantis corpus
Christi non repugnat speciei extra-
nei nec corpori Christi sed uniti
corpori Christi mistico. Ideo ma-
lus recipit sacramentum et rem
in eo contentam sed non rem sig-
natam. Unde malus et si re-
cipit sacramentum acquirit mag-
num tormentum. De con. dis. 2. quid
est. Utrum vero infidelis man-
ducet corpus Christi sacramen-
taliter. Respondeo quod sic si sacra-
mentaliter dicatur modus rei
manducare. Sed si modus
manducantis disconveniat
aut nullam habet intentionem illud